



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

7. Victa Dehinc Cessit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

antiqu. l. 3. c. 21. Fabricij orig. Saxon. & apud eundem orationem de origine Saxon. item Isaac. Pont. orig. Francic. l. 2. c. 2. Et Rein. Reinec. in comment. de origine Misensorum.

7. VICTA DEHINC CESSIT. Quod, Ægidij Gelenij iudicio, l. c. de hac nostra *Desenberg* locutus, Lambertus Schaffnaburgensis memoriae prodidit, his verbis ad An. 1070. *Deinceps Rex (Henricus IV.) collecto exercitu egressus, extremam operi manum per se ipsum imposuit. Principes, quos ei (Ottoni) consanguinitate vel alia necessitudine obnoxios noverat, aut acceptis presidibus, aut jure jurando, ne ad eum deficerent, obligavit, castellum Hanenstein, à quo ad primum statim belli terrorem presidium abductum fuerat, funditus everti jussit; alij castello, quod Desenberg dicitur, exercitum jam admovent, sed hi qui intus erant, etsi loci situ inexpugnabiles essent, & copijs omnibus, qua administrando bello necessaria erant, affatim affluerent, ultimo tamen se dedere, quam ancipitem belli fortunam tentare maluerunt.*

8. NVNC IACET INDIGNA. Quæ vastatio An. 1200. contigisse videtur, quando penè primo Pontificatus Anno, Bernardo III. Episcopo Paderbornensi cum Widekindo de Desenberg Abbate Corbejensi gravis intercessit controversia, supra castro Desenberg, & super quibusdam damnis, quæ se Widekindus à Bernardo Episcopo, & maxime ab illius Predecessore sustinuisse dicebat. Quare per arbitros utrimque lectos reconciliati ambo consensere, ut castrum Desenberg pari labore & paribus expensis destrueretur, & ut de cætero mons ille nulli hominum conferretur, neque odij neque dilectionis intuitu, qui presidium vel aliquam munitionem in eo exstrueret, sed terra fieret arabilis &c. Testes hujus rei, Lambertus Prepositus, Tidericus Decanus, Henricus Prepositus Sancti Petri, Tidericus Schola-